

secuti essent : inde rursus ex ipsa insula in Chium usque
frequenti navium apparatu reduxissent . Chalcidica interim
expugnatio Venetias perlata , tantum luctum & mœrorem
Patribus ac toti civitati attulit , ut vix omnibus quæ ter-
ra marique Veneti nominis erant amissis , major ullus affer-
ri potuisset : vulgo prædicare omnes , eam cladem non so-
lum ad Veneti imperii , sed totius etiam Italiam excidium
spectare ; quæ insula , quis Euripus , quæ maris angustiæ
essent amplius , quæ potentissimi Regis conatus remorari
possent ? Venturum eum , quotiens visum fuerit , vel una ve-
lificatione in Italiam usque ; hoc suam , hoc aliorum negli-
gentiam peperisse , qui quum mature ad id incendium re-
stinguendum occurrere potuissent , suo mutuo odio avari-
tiaque noluissent : pigere ad hæc pudereque , fidelissimæ ur-
bi nulla auxilia a suis interim , dum oppugnaretur , exhi-
bita : odiisse itaque uno ordine omnes classem , odiisse præ-
fectum ipsum : fitque senatusconsultum de imperio ei abro-
gando , & ut ex provincia revocatus causam ex vinculis
diceret : quid esset , quod nullam Chalcidensibus opem tu-
lisset . Petrus Mocenicus omnibus suffragiis ei surrogatus
est , statimque in provinciam ut exiret , est jussus .

Interim quum ad Cæam pluribus diebus classis fuisset ;
Canalis & alii consilium cepere de Chalcide subito inva-
denda : tentareque est visum an inopinato accessu oppidum
recuperari posset . Convenit itaque inter eos , ut Joannes
Thronus , Nicolaus Molinus , & Fœdericus Justinianus cum
novem triremibus , ubi ab Euripo classem urbi admotam
vidissent , ipsi aversa parte in terram digressi repente urbem
invaderent . Sed aliquanto nimis est properatum ab iis ,
qui a terra Chalcidem oppugnaturi erant : præmature in
hostem inventi , multitudine barbarorum circumventi du-
centi & amplius momento temporis sunt ferro absumpti ,
in quibus fuit Joannes Thronus , homo impiger , ac manu
promptus , & cuius opera fuit eo certamine , quanquam
imparibus pugnaretur viribus , non obscura . Alii qui in lit-
tus egressi erant , suorum cæde consternati , & quia segni-
ter ab Euripo omnia fieri videbant , in fugam versi se tre-

*Canalis
frustra
Chalcidem
recipere
tentat.*